

ECKBERTUS SEU EGBERTUS

ABBAS SCHONAUGIENSIS

ET

SANCTA ELISABETH

SOROR EJUS GERMANA

NOTITIA HISTORICA IN ECKBERTUM

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Latinit.*, II, 78)

Eckbertus, alias *Egbertus*, presbyter et canonicus Bunnensis, Coloniensis diocesis, ac denique monachus et post Hildelinum, abbas Schonaugiensis (1) S. Florini in diocesi Trevirensi, ordinis Benedict. circa Annum 1160. Opusculum *De laude crucis*, et *Soliloquium*, sive *Meditationes* et *Stimulus amoris* in celeberrimi Bernardi Pezii *Bibliotheca ascetica*, tom. VII, pag. 13, 21, 57, Ratisbonæ 1725, 8°. *De obitu sororis suæ germanæ S. Elisabeth*, virginis abbatissæ Schonaugiensis, defunctæ a. 1165, ad cognatas suas, prodiit in Actis sanctorum tomo III Junii, 18, pag. 607, cum hujus Elisabethæ Visionum libris v, ut prius lucem viderat edente Jacobo Fabro, Stapulensi, Parisiis 1500, et deinde Coloniæ 1628, etc. *Sermones* XIII *adversus hæreses Cotharorum*, hæresim Manichæorum renovantes (cum *excerpto de Manichæis* ex Augustino) ad Reginoldum, archiepiscopum Coloniensem, Coloniæ 1530, 8° (2), et tomo XII Colon. atque tomo XXIII *Bibliothecæ Patrum* edit. Lugd., pag. 601. Cætera quæ huic Ecberto tribuuntur apud Trithemium cap. 403, De S. E. et illustr. Benedictin. II, 121, sunt: *In principium Evangelii Joannis*; *Super Magnificat*; *Super Missus est angelus*; *Meditationes*, *Sermones* per annum, *Laudes Salvatoris*, et *Epistolæ* ad diversos.

NOTITIA ALTERA.

(R. P. D. Bernardus PEZIUS, *Bibliotheca ascetica antiquo-nova*, t. VII, Præf., n. 2.)

Eckeberti nomen apud plerosque scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores exstat. Eum insigni elogio celebrat Jo. Trithemius tum in *Annalibus Chronico Hirsaugiensi*, editionis Sanct.-Gallensis tom. II, pag. 450, tum in libro de scriptoribus eccl. cap. 403, ubi hæc ejus verba sunt *Eckebertus* (in Chron. Hirsaug. *Egbertus*) *secundus abbas monasterii Sancti-Florini, Ordinis divi P. Benedicti, Trevirensis diocesis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, et non minus conversatione scientia venerabilis, frater beatæ Elisabeth virginis, abbatissæ Schonaugiensis fuit. Hic ante Bunnensis (seu Bonnensis) Ecclesiæ canonicus fuit a sancta sorore ad Schonaugiam vocatus, primo monachus, ac deinde abbas factus est. Scripsit non contemnendæ lectionis Opuscula, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam transmisit. K. quibus subjecta reperi:*

Adversum hæreses lib. 1. *Prophetarum dudum temp.*
In principium Evangelii Joannis lib. 1. *Mysteria divini ser.*
Super Magnificat lib. 1. *Spiritus Domini super te Ma.*
Super Missus est angelus lib. 1. *Sermo evangelicus omni.*

(1) Abbatiam Schonaugiensem ab abbacia S. Florini præter rem, diversam faciunt Vossius pag. 430, Oudinus, t. III, pag. 1548, aliique.

(2) Hermanni ab Hardt autographa, tomo III, p. 195.

PATROL. CXCIV.

1

De obitu sororis suæ lib. 1. *Virginibus Deo sacratis.*

Meditationes lib. 1. *Verbum mihi est ad te.*

Sermones per annum lib. 2. *Erunt signa, etc., adventus.*

Laudes Salvatoris lib. 1.

Epistolarum ad diversos lib. 1.

Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Fuit enim declamator egregius, doctus et eloquens, adeo ut quemdam hæreticum, quem nemo concludere poterat, unica disputatione superaret. Claruit in cœnobio præfato Sancti Florini, quod Schonaugia dicitur, in diœcesi Trevirensi, sub Frederico imperatore primo, anno Domini 1160 et propter religionem et doctrinam in pretio habebatur. Hæc Trithemius de Vita et Scriptis Eckberti, ex quibus Liber adversum hæreses, id est, Sermones xiii adversus Catharos, prodire Coloniae an. 1530, in-8, posteaque inserti sunt tomo XII Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis. Liber de obitu sororis suæ exstat apud Bollandianos ad diem xviii Junii, sicutque jam anno 1500, Parisiis ab Henrico Stephano, Roberti patre, una cum Revelationibus S. Elisabethæ, ac anno 1628, Coloniae vulgatus, teste Casiniro Oudino tom. II De scriptoribus ecclesiasticis, col. 1549. Qui tamen insigniter fallitur, dum ibidem Eckberto abbati Schonaugiensi Vitam B. Heimeradi presb. et confessoris, a Leibnitio inter scriptores rerum Brunswicensium publicatam attribuit. Neque enim Eghbertus, S. Heimeradi biographus, Schonaugiensis unquam abbas aut monachus, sed Hersfeldensis fuit, ut vel ex inscriptione vitæ S. Heimeradi perspicuum est. Joannes Mabillonius in recentissima Operum S. Bernardi editione, volum. II, col. 687, Sermonem panegyricum ad B. virginem deiparam, S. Bernardo Claravallensi, sub cujus nomine in recentioribus editionibus comparet, abjudicat, et in Contentis tom. V Eckberto nostro restituit. Nec plura scio, quæ sub Ekeberti abbatis nomine typis hactenus commissa fuerint. At iis tria deinceps Opuscula addere licebit.

Primum est depromptum ex membraneo codice in-fol. min. [in]clyti monasterii Windbergensis Ord. can. regularis Præmonstratensium, quingentis circiter abhinc annis exarato, in quo nullus alius quam hic Opusculo titulus præfixus est : *Laus crucis, verba Ekeberti.* Quæ inscriptio, quin nostrum Ekebertum spectet, vix quisquam merito dubitaverit. Est hæc scriptiuncula non minus sobria quam pia, cujus numero 5, paucis et perspicuis verbis exponitur, quidquid fere a recentioribus theologis scholasticis de causis et modis Dominicæ crucem adorandi per plura capita disputatur.

Alterum Ekeberti Opusculum, nunc primum, ni fallor, in lucem productum et excusum est ejusdem *Soliloquium*, seu, ut Trithemius supra inscribit, *Meditationes.* Exstat id in novem codicibus Bibliothecæ Mellicensis, quorum tamen nullus sæculum xv, ætate superat. Codex chartaceus signatus Litt. B. num. 29, id Richardo a S. Victore tribuit his ad calcem verbis : *Explicit Soliloquium Richardi de speciali commendatione Jesu.* Verum non Richardi, sed Ekeberti abbatis Schonaugiensis esse discimus præter alia ex paulo ante laudato Trithemio, qui *Meditationes* ab his verbis : *Verbum mihi est ad te* incipientes, Ekeberto disertè attribuit. Illud ut ad piùm lectorem emendatius pervenerit, ad fidem diversorum codicum castigavimus, variantesque lectiones ad calcem paginarum adjecimus.

Tertium, quod nunc primum sub nomine Ekeberti publicis juris facio Opusculum, est ejusdem *Stimulus amoris*, qui hactenus inter Opera S. Bernardi Claravallensis locum sortitus fuit. Libellum hunc seu sermonem etiam recudit inter ejusdem Opera, recentissime edita, Mabillonius tomo V, col. 649, qui tamen erudite ibidem observat, eum *sancto Anselmo tribui a Trithemio, Bellarmino et aliis sub titulo Stimuli amoris. Certe Bernardi, inquit, stylum non sapit, nec reperitur in antiquis mss. nec in prima editione Lugdunensi sub nomine Bernardi.* Ita recte vir eruditissimus. Sed hanc pietate ac spiritu plenam lucubrationem nec Anselmi esse docet nos optimæ notæ codex Windbergensis paulo supra citatus, qui præter *Laudem crucis* etiam sub expresso nomine Ekeberti eamdem hoc titulo continet : *Stimulus dilectionis Ekeberti.* Codici Windbergensi consentiunt duo Sanct-Petrenses Salisburgi, chartaceus alter, alter membranaceus, ambo sæculo xv exarati, quorum prior vocat *Librum domini Ekeberti, qui intitulatur Stimulus charitatis* : alter ait esse *Ekeberti abbatis.* Vero mihi perquam simile est, hunc *Stimulum amoris* non esse diversum a *Laudibus Salvatoris*, quas Trithemius Ekebertum scripsisse supra commemorat. Quid enim in illo aliud agit auctor, quam ut *glorietur in nomine Filii Redemptoris, et demus honorem Salvatori nostro qui magna fecit in nobis, etc.* Porro variæ lectiones, quas ad linem paginarum adjeci, mihi enatæ sunt ex collatione editionis Mabillonianæ et codicis Mellicensis E. 42, qui ad bonæ notæ exemplum exaratus videtur.

ECKBERTI SCHONAUGIENSIS

SERMONES

Adversus pestiferos fœdissimosque Catharorum, qui Manichæorum hæresim innovarunt, damnatos errores ac hæreses. — Accedit breve ex Augustino de Manichæis Excerptum per eundem Eckbertum.

Opus quantivis pretii et revera cedro dignum, nec unquam satis commendandum studiosis rerum theologicarum, cum propter orationis evidentiam, tum propter ordinatissimam argumentorum methodum ac vin.

(GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, XIV, 447.)

ECKBERTI PRÆFATIO

AD REGINOLDUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Illustrissimo rectori pontificalis cathedræ in Colonia domino REGINOLDO, frater ECKBERTUS Schonaugiensis cœnobii monachus, hoc munusculum ex meditationibus suis.

In vestra diœcesi frequenter contigit deprehendi quosdam hæreticos, qui diebus istis plurimum nota-